

ex mediis armis turbaque nocturna, tanquam Palladium, sustulisse, ut praeclarum inde munus ac instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. Et adspergit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur.

XIII. Movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu in publicum jecisti: tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilacerandum reliquisti. Quam rem etsi necessario fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem expromsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debo. P. Clodii praeturam non sine maximo rerum novarum metu proponi, et solutam fore videbatis, nisi esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem esse cum sentiret universus populus Romanus, quis dubitaret suffragio suo se metu, periculo republicam liberare? At non, P. Cludio remoto, usitatis jam rebus entendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa huic uni concessa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Cladio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coepitus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ulti injuria, punitor doloris sui. Quid, si haec, non dico majora fuerunt in Cladio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam sua gloriae, praeter hoc civile odium,